Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1155
Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 354—55. *Proſperi*, tum *Hilarii Epiſtola ad Auguſtinum*, ut T. *eod. coll.* 820. et 825. Atque hae duae cum mox relatis *ad Dardanum* et *Paulinam* aliquatenus ſubplere poſſunt ſpurias in Corpore Epiſtolarum ſupra memoratas.

IX. *fol.* 357. Ejusdem *Auguſtini* Opus *de Praedeſtinatione et Perſeverantia Sanctorum*, ut T. X. *col.* 789. Extrema a verbis: *Et orare deum gratie ſpiritualis eſt, ſicut ſcriptum eſt. Nemo dicit dominus ihesus* &c. ab alia manu acceſſere.

X. *fol.* 377. p. 2. *Sermo beati auguſtini ad presbiteros ypponenſes*, qui omiſſo *Propter quod* incipit: *Rogaui uos heſterna die* &c. ut T. V. *col.* 1379.

XI. *fol.* 381. *De eccleſiaſticis Dogmatibus.* Praevio Indice. Jam ſaepius relatus et merito in *Append.* T. VIII. *col.* 71. relegatus Tractatus.

XII. *fol.* 384. *Incipit liber auguſtini de bono coniugali* praemiſſo *Retractationum* loco, quem Miniator lepide *Detractionem Auguſtini* inſcripſit. Extat Edit. *cit.* T. VI. *col.* 319. Multa hujus Collectionis Titulis a prima manu carent. Ad calcem accedit duplex *Tabula*, prior Epiſtolarum, altera Rerum.

CCCCLXVII.

U. 714 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 118. f. per duas columnas nitide, ſed multis vocum compendiis exaratus, coloribus diſtinctus, et olim datus *ad librariam Collegij ducalis ex parte Erhardi quondam bedelli theologorum* Opus Dogmaticum eſt, cujus Prooemium incipit: *In deſerto manna colligentes alius integrum gomor alius plus alius minus* &c. Quinque *Partitiones* promittit Autor ἀνώνυμος: *In prima agendo de fide trinitatis. In ſecunda de caſu rationalis creature. In tertia de reparatione que facta eſt per uirtutum reſtitutionem. In quarta de ea que ſemel facta eſt per incarnationem. In quinta de ea que cottidie fit per ſacramentorum participationem. Hujus autem operis* (dixerat prius) *tibi pater inclite Wilelme preſul ſenonenſis limam reſeruauimus.* Narrant Autores *Galliae Chriſt.* T. XII. p. 52. *Guilelmo* huic *de Campania* dicto *aux blanches mains*, antequam a. 1176. ad Sedem *Remenſem* transferretur, a *Petro Comeſtore* dicatam fuiſſe celebrem ſuam *Hiſtoriam Scholaſticam*, et *Librum de theologicis Sententiis*, ex quo facile quis induci poſſet, ut *Partitiones* noſtras huic *Petro* tribueret, niſi omnium, qui de *Comeſtore* tradidere, ſilentium reclamaret. Et fortaſſis in ea ſententia fuere praedicti Autores Codicem ἀδέσποτον nacti, qualis, modo ſaltem, noſter eſt, poſtremis lineis deficientibus. Verum legenda erat illis Praefatio Sodalis ſui *Hugonis Mathoud*, qui Opus noſtrum *Petri* non *Comeſtoris*, ſed *Pictavienſis* cum *Roberti Pulli Sententiis* primus in lucem extulit *Pariſ.* 1655. f. Ita ille ibi: *Quo ſe ſubtraheret æmulorum*